M. ROBERTI HOVAEI SCOTI,

DE Iustificatione Hominis coram Deo:

Aphorismi Theologici,

Propositi ad publicam συζήτησιν in inclyta Academia Basileensi:

De quibus respondebit 22. Octobris

CONRADVS VVASERVS TIGVRINVS.

BASILEAE, TYPIS OPOR.
ANNO M. D. XC.

D. Hatfeldio Ecclesiae Herbornensis fideli ministro, amico veteri Robertus Hovaeus Scotus d.d.

CLARISSIMIS VIRIS, PASTORIBVS, ET SACRARVM LITERARVM PROFESSORIBVS IN ECCLESIA & Schola Herbornensi.

CVM constituissem hoc tempore Aphorismos hos, quibus varitatem doctrinæ cœlestis de Iustificatione Hominis coram Deo, contra Pontificiorum errores assero, ad publicam Disputationem proponere: visus sum mihi ex officio facturus, si eos sub clarissimo vestro nomine in lucem proferrem. Memini, cum ex Academia Rostochiensi ad vos venissem, me D. Oleviani, beatæ memoriæ, singularem δεινότητα in docendo admiratum, tum primúm sacris literis incumbere cœpisse: quem ut vivum colui, ita & optimi Præceptoris defuncti memoriam sacrosanctam conservo. D. Io. Piscatorem, Virum literarum sacrarum scientia, Philosophiæ studio, & trium linguarum cognitione clarissimum, & alios Viros magnę eruditionis in Schola vestra, & sæpè & libenter audiebam. Quare si fructus ex illa semente sperari potest: æquum, est aliquem saltem inde ad vos redire. Accessit & hoc, quód intellexeram Cl. Viro D. Io. Iacobo Grynæo, Academiæ nostræ Magnifico Rectori, Præceptori meo, studium hoc meum probari; qui hac ipsa inscriptione testari etiam voluit amorem & studium suum erga Ecclesias in Comitatu Nassoviensi, Solmensi, & Vitgenstenio, & illustrem Scholam vestram, quæ cum Ecclesiis quæ sunt in Christo in Helvetia, & alijs Provincijs, in fide consentiu[n]t. Hanc amoris utriusque nostrûm erga vos testificationem, maximè Clariss. Theologi D. Io. Iac. Grynæi, vobis gratam & jucundam fore confido. Dominus Iesus benedicat Illustri Comiti Nassovio Ioanni Patri, Ecclesiarum vestrarum benigno nutritio, & κτίστῃ Scholæ vestræ, ex qua magna ad Ecclesiam Christi commoda indies proveniunt, quæq; Academiæ huic nostræ M. Io. Buxtorpium, Linguæ sanctæ doctorem, Virum modestum & eruditum dedit, qui vos pari benevolentia & amore mecum prosequitur. Valete in Domino: ex illustri Academia Basileensi 12. Octobris 1590.

Vobis addictiss.

M. Robertus Hovæus Scotus.

Aphorismi Theologici, de Iustificatione Hominis coram Deo.

Aphorismus primus.

IVstificatio est actio Dei, qua hominem propter perfectam obedientiam ipsi præstitam iustum pronunciat, & participem vitæ æternæ. Rom.8.vers.33.& 3.v.26.& 4.v 4.5. Matth.19.v.16.

2. Obedientia hæc, vel in ipso homine tanquam in subiecto inest qui iustus ab ea censetur: vel in alio quidem subiecto, sed quæ homini quem iustificat Deus, imputatur. illa Nostra, hæc Christi: illa Legalis, hæc Evangelica dicitur. Gal.2.16. Roman. 10. 3. Ephes.2.8.

3. Legalis non tam ideò dicitur, quód obediētiæ huius accurata forma in Lege præscripta sit: quám quód Lex, Obedientiam hanc á nobis, et quidem ex nostris viribus (quas satis magnas in prima creatione dedit Deus) poscat. quam nisi præstiterimus, nos maledictioni iam esse obnoxios pronunciat. Rom. 10.5. Deut.6.5. Matth.22.37.

4. Legalis ergo obedientia est universæ Legis impletio, præstita ab eo homine qui iustus ab ea pronuntiatur: seu conformitas naturæ & actionum omnium, hominis illius cum Lege, qui ex ipsa iustificatur. Gal.3.10.12. Rom.2.13. Rom.4.4.

5. Quare dicere, hominem iustificari per iustitiam Legis, ex Lege, ex operibus Legis, ex bonis operibus, & propria iustitia: idem est, et hæc omnia retrocomeant. quod manifestè liquet ex Philip.3.9. Rom.10.3.

6. Quód autem toties mentio operum Legis fiat, ratio est, quód hæc sola opera quæ Lege præcepta sunt, promissiones habeant vitæ, & ea sola placeant Deo. Ruunt ergo ἐθελοθρησκεῖαι, & observationes mandatorum hominum, ex quibus nec iustificatur quisquam, nec poterit quidem.

7. Quanquam ne tum quidem, ubi omnia fecerimus quæ in Lege præcepta sunt, adiudicari nobis debeat æterna vita, ut qui servi inutiles simus, & fecerimus ea tantùm quæ facere debuimus: Luc. 17. 10. tamen placuit benignissimo Deo etiam ultró se obstringere ad dandū implentibus Legem vitā æternam.

8. Hinc vita æterna, si per Legis impletionem homini obtingeret, meritū & debitū diceretur, ut inquit Apost. Rom. 4. 4.

9. Cum itaq; iustificatio ex Lege perfectam mandatorum Dei observationem requirat, patet nullum hominem qui unquam vixit, aut vivet (Christum excipito) ex Lege iustū censeri posse, Gal. 2. 16. cum non regenitus perpetuó peccet, regenitus autē indies, ita ut quotidie dicat, Remitte nobis debita nostra. Iam Lex non est ex fide, id est, non promittit vitam credentibus, sed faciētibus: qui fecerit ea homo, vivet in ipsis. Ergo vita ex Lege sperari non potest. Adde quód, ubi semel transgressus fueris Legem, Lex nullam habeat promissionem remittendi tibi peccata. Quod si dixeris, te saltem opere bono sequente id recompensaturum quod defuit: obsecro, cum illud ipsum opus quod facturus es debeas, quomodo solves? Ad hæc, opus quodcunq; tuum bonum, peccato commisso non æquivalet.

10. Ex huius rei consideratione fideles clamant Psal. 143. 2. Ne intres in iudicium cum servo tuo. Iob. 9. Quomodo iustificabit se homo cum Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum ex mille.

11. Quare cúm dicimus, ex Lege seu bonis operib. seu propria iustitia hominem non iustificari: non dicimus bona opera id non posse facere (nam si Adamus perstitisset integer, ex propria iustitia fuisset iustus) sed dicimus in hominibus iā lapsis, (lapsi autem sunt omnes) bona opera nec tanta, nec tot numero inveniri, id est, perfectam Legis impletionem non inveniri, ideoq; ex Lege nullum hominem iustificari.

12. Obedientia aliena (quā Evangelicam diximus) quæ Homini ad iustitiam imputatur, superest, ita ut illa altera remota,

mota, necesse sit eos omnes qui iustificantur, non aliunde quàm ex hac iustitia (quod quidē fit imputatione) iustos cēseri posse. Quare rectissimé dicunt Orthodoxi, sola fide (alienā hanc obedientiam intelligentes) Hominem iustificari. quia Paulus dicit Gal.2.6. Ephes.2.9. Rom.3.24. 2.Tim.3.5. nō nisi per fidem: item, non ex Lege, non per Legem, nō ex operibus quæ fecimus nos, sine operibus, gratis, ipsius gratia: perpetuó hæc tanquā adversa immediata opponens. Cum ratione insaniunt Pontificij, qui non vident, uno adverso immediato posito, alterum excludi, ideoq; hoc quod in subiecto est, solum esse, quia alterum exclusum est: nec possint esse in eodem subiecto, cum repugnent ut unum uni.

13. Evāgelica iustitia est quidem Legis impletio (siquidem alia nulla est in Dei conspectu iustitia, Gal.4.4.5. Rom.8.3.4. Lex per fidem stabilitur, & Deus misit Filium suum in carnem, ut ius Legis, seu iustitia Legis in nobis impleretur) sed nō est in eo qui per eā dicitur iustus, sed in alio: quæ homini quem iustificat Deus, imputatur, perinde ac si illam ipse præstitisset. Evangelica dicitur, quia per Evangelij prædicationem retegitur. Rom.1.17.

14. Hæc est Christi obedientia, quæ nobis imputatur, dum cælestis Pater illam dignatur nostram ducere: qua induti non secus in Deï conspectum prodimus, & vitæ æternæ ius consequimur, quàm Iacob olim indutus vestibus primogeniti Esaui, patrem accedens, Esaui loco habitus, obtinuit primogenituram.

15. Ergo & aliena & nō aliena dici potest. aliena est, quatenus extra nos est, & in alio subiecto, nempe Christo residet: sed aliena nō est, quatenus illud ipsum subiectum, nempe Christus, noster est: atq; adeó spiritualiter per fidē est factus unus nobiscum, ut nos ipsius membra censeamur. Ephes.5.30.

16. Neq; ideo obedientia illa Christi minus certó nostra esse existimanda est, quód nobis tantúm imputetur, & non intra nos sit. Nam prout non omnium rerum quas possidemus ea

est na-

est natura ut intra nos sint, sic & de hac iustitia sentiendũ est. Interim tamen Evangelium & Sacramenta testantur, obedientiam hanc non minus nobis veré credentibus imputari & nostram esse, quám si á nobis ipsis exhibita fuisset, & quám si nostris corporibus & animabus adhaeresceret. Imó tutior & certior nobis est in merito & intercessione Mediatoris, quám si intra nos esset: quia in illo fundamento non potest labefactari, in nobis posset multis modis, prout alia dona spiritualia.

17. Quare non est quód putes imputationem hanc alienae iustitiae, rem esse inanẽ, aut in imaginatione tãtúm positã. Nam sicut Christo, qui peccatum non novit, veré & reipsa imposita fuerunt nostra peccata in Dei iudicio, ideoq́ & acerbißimam mortem subire eum oportuit: sic et veré & certißimé in Dei iudicio imputatur nobis ipsius obedientia ad vitam, sicut illi nostra inobedientia ad mortem fuit imputata.

Ἀπορία. Sed dices, Non ne Deus ita se iniustum declarabit, si alterius alicuius iustitiam habeat pro nostra? Λύσις, Verum quidem esset, si illa in nostri gratiam non fuisset praestita. At cum hanc, ad quam Christus non tenebatur, pro nobis praestiterit, & conditionem hanc acceptet Deus (nec mirum, ut qui hanc rationem reconciliandi se nobiscum ipse invenerit) nequaquam sequitur.

28. Differunt ergo Legalis & Evangelica iustitia, nõ materia aut forma: sed efficiẽte & fine. Non Materia, quód utraque sit obediẽtia quae praestatur Deo. Non Forma, quód utriusq́ norma sit Dei Lex. Deus enim nullam aliam iustitiã agnoscit, nisi quae cum hac Lege congruit.

29. Efficiente & fine differunt. Rom. 10.5. Gal. 3.12. Efficiente, quia iustitia Legalis sumitur pro perfecta obedientia, praestita ab illo ipso homine, qui iustus ab ea censetur. Evangelica, est perfecta Legis impletio, non quidem praestita ab ipso homine qui iustus ab ea censetur, sed á Christo, quae tamen Christi obedientia homini ad iustitiam imputatur. Fine. Nam finis Evan-

nis Evangelica iustitia est gloria misericordia Dei: Legalis, est hominum magis gloria, quia haberet homo de quo gloriaretur apud Deum. Rom. 3. 27.

20. Dicitur hac iustitia aliena seu imputativa iustitia Dei, partim ab efficiente causa, quia gratis a Deo donatur, per & propter Filium: partim ab obiecto, quia sola potest ferre rigorem iudicij divini, & consistere coram tribunali Dei. Rom. 1. 17. Rom. 10. 3. & 3. 22.

21. Eodem sensu & gratia per metonymiam causa efficientis dicitur, & χάρισμα, Rom. 5. 15. quod ex Dei gratia nobis obveniat & nobis imputetur. quo sensu & gratis iustificari dicimur. Rom. 3. 24.

22. Hinc vita aterna, qua iustitia effectū est, dicitur iam hæreditas, donum, sicut respectu iustitia Legalis meritum & debitum dicebatur.

Απορία. At quomodo dicimur gratis iustificari, & quomodo vita aterna donum dicitur, si propter Christi meritum iustificamur? Λύσις. Hic excluduntur merita humana, nō Christi: Christo enim magno constitit nostra salus. Quare rectè dicere potes, nos meritis iustificari, quia Christi meritis iustificamur: & operibus, quia Christi operibus iustificamur.

23. Eadem iustitia respectu nostri, ut qui illam per fidem apprehendimus & nobis applicamus, Iustitia fidei dicitur, unde & fide dicimur iustificari. Rom. 4. 13.

24. Ergo dicere nos fide iustificari, perinde est ac si dicas, iustitiam nostram coram Deo esse Filij Dei obedientiam, qua fide apprehenditur. unde solet addi, per fidem Christi, Gal. 2. 16. 20. & infinitis locis, ut fidei obiectum denotetur. Et quemadmodum manus qua recipit thesaurum donatum, non ditat, sed thesaurus: & os quod cibum recipit, non nutrit, sed ipse cibus: sic nec fidei opus vel actio nos iustificat, sed ipse Christus, quem fide apprehendimus.

25. Ideo quia per iustitiam fidei, obedientia Christi intelligitur,

telligitur, semper in Scripturis iustitia fidei, iustitiæ Legis opponitur.

26. Et quia per fidem nō ipsa fides tanquam opus, vel nova aliqua qualitas in nobis intelligitur (nam hoc suprà refutavimus, & tantum abest ut fide tanquam opere iustificemur, ut potius nobis fatenda sit fidei infirmitas) sed Christi obedientia: ideo per metonymiam continentis res contenta intelligitur. Et huc redit quod alij dixerunt, nos iustificari fide, correlativè.

27. Quoscunq; Deus iustificat, eos invenit impios: quemadmodum quoscunq; Medicus sanat, prius invenit ægrotos. Sed non quoscunq; Dominus invenit impios & iustificat, relinquit impios: sed donat illis S. sanctum, qui inchoet in ijs novam obedientiam.

28. Licet autem is qui Christum ad iustitiam amplexus sit, eundem ad sanctificationem quoq; amplectatur (ut modò dictum est) Deut. 24.12. ita ut ipse quoq; in sese iustus incipiat esse, Luc.1.6. & bonos fructus edere, qui & iustitia dicuntur, (sed inchoata: non illa perfecta imputativa quæ est iustitia hominis coram Deo) & à Scholasticis & nonnullis Veterum merita, sed impropriè vocantur & malè, occasione sumpta ex veteri versione Hebr.13.16: tamen tantum abest ut hæc opera hominum regenitorum sint iustitia illa, propter quam illos iustos & vitæ æternæ participes pronunciat Deus, ut ne vel pars eius ulla sint. Primò, quòd effecta sint iustificationis, non causæ. atqui hic quæritur de causis. Secundò, quòd semper polluta sint aliqua labe nostri, et pauca sint: cùm iustitia ex operibus requirat obedientiam in omnibus, eamq; perfectam.

29. Vnde cum interrogantur Orthodoxi, cur iustificentur homines, seu propter quid? Respondent, propter Christi obedientiam. Cum autem interrogantur, quinam sint illi, seu quales, qui iustificantur? Respondent, Homines qui sanctitati vitæ student. ex fructibus arborem ostendentes, ex effectis causam, ex sanctificatione iustificationem. Vide Psal. 15.

Quare

30. *Quare si ita loqui volueris, Homo operibus iustificatur, id est, comprobatur esse illa persona quæ Christi obedientia iustificatur, ex vitæ sanctificatione, quæ tanquam effectus illam sequitur & de illa testatur: rectè dixeris: nam & Iacobus cap. 2. v. 21. ita loquitur. Sed id respuunt nostri Pontificij, qui bona opera non iustificationis effecta, sed causas faciunt: cum tamen necessarium sit arborem prius esse bonam, quàm bonos fructus ferat: ut vel sensu communi destituti esse videantur, cum id affirmant.*

31. *Insignis ergo Pontificiorum calumnia est, qui, cum nos bonorum operum merita á iustificatione excludimus, calumniantur nos bona opera damnare, aut certé homines á bonorum operum studio deterrere: cum tamen Apostolus, et nos cum ipso, utrumq; doceamus, & neminem operibus suis iustificari, & tamen in studium bonorũ operum incumbere debere. Et ratio est, quia effectus á causa divelli nec potest, nec debet: & quos Christus iustificavit, eosdem et sanctificavit: & fideles vocationem suam firmam facere debeant. 2. Petr. 1. 10.*

32. *Status ergo controversiæ inter Orthodoxos & hostes gratiæ Dei, hic est: An bona opera (quæ suprá iustificationis effecta diximus) iustificent hominem, seu iustificationis causa materialis sint, vel in universum & sola, ut olim Pharisæi & Iudæi hodie sentiunt: vel ex parte, ut nostri Pontificij volunt: an potius sola Christi obedientia, exclusis operibus tanquã causis socijs, sit illud quod Homini ad iustitiam imputatur, quã sententiam nos tuemur. Ergo inter nos & Pontificios (ut alios omittam) contradictio est. Cum illi dicant, nos iustitia propria iustificari: nos contrá asseramus, nos iustitia aliena, id est Christi, eaq; sola iustificari. Illi bonis operibus, seu operibus Legis: nos non bonis operibus quæ fecimus nos, sed Christi, seu iustitia quæ est per fidem.*

33. *Observandum est, hic quæstionem esse de operibus hominis regeniti: nã stolidé quæreretur de operibus hominis non*

B regeniti,

regeniti, cum non-regenitus, ut qui extra Christum est, nunquam bene agere possit.

34. Quare magna inscitia Pontificiorum est, qui hîc bona opera, in Liberi arbitrij seu non-regeniti hominis, & regeniti distinguũt, cum illud prius membrum nec exstiterit unquam in rerum natura, nec existet.

35. Pontificij nostri, cum viderent aperté in Scripturis nos non nisi per fidem iustificari, ideoq; negare non possent, Christi iustitiam, quæ iustitia fidei vocatur, materialem causam iustificationis nostræ esse: mistionem quandam introduxerunt, ut dicerent, nos & fide & operibus iustificari, quasi hæc duo tanquã causæ sociæ ad hoc ἀποτέλεσμα producẽdum concurrerent. quâ in re diximus controversiæ statum positum esse.

36. Hoc figmentum Pontificiorum dupliciter refutabimus. Primó ostendemus, iustitiam Legis & Evangelij tanquã causas socias iustificationis & vitæ æternæ non posse coucurrere. Secundó, iustitiam operum simpliciter & in universum ex iustificationis causis excludi ostendemus, ut plané operam perdant, qui rei alicuius, quæ prorsus non existit, concursum faciant cum re plané sola. Hæc posterior pars, quæ susceptæ probationis prima pars Methodi Lege esse debebat, quia longior est, secundo loco á nobis ponetur.

Non & partim nostris operibus, & partim Christi obedientia iustificari nos, hinc constat. 1. Quód cum hæc repugnent ut unum uni, impossibile est illa posse concurrere. 2. Cum simpliciter anté ostensum sit, operibus nullum iustificari: frustrá quæritur, num fide & operibus simul? Quin ex hoc figmento Pontificio ita liceret contra Apostolum affirmare: Si ideo Apostolus dixit fide nos iustificari sine operibus, quia fide etiam iustificamur: licebit cum Pontificijs dicere, Operibus sine fide iustificamur, quia non fide tantúm, sed & operibus iustificamur. Quid posset vel magis ineptum, vel blasphemum, vel repugnans menti S. sancti dici? 3. Sequeretur Deum nec perfecté

miseri-

miſericordem, nec perfectè iuſtum. 4. Chriſtus talibus hominibus nihil prodeſt, Gal. 5. 2. 4. aut totam ſalutem in Chriſto quærant, aut totam amittant. 5. Fuit hoc figmentũ cauſa ruinæ Iudæorum, Rom. 10. 3. 6. In prima Synodo, quæ poſt Chriſti Aſcenſionem habita eſt, cui Apoſtoli interfuerunt & præſederunt, unde Apoſtolica dicta eſt, damnatus fuit hic error. 7. Poſtremò inquit Apoſtol. Gal. 5. 8. cauſam huius erroris oſtendens: Hæc perſuaſio non eſt profecta ex eo qui vocat vos, ſed à Diabolo.

Sed age ipſum Paulum Apoſt. (quem hi, ſi in vivis eſſet, in crucem agerent, cum eos qui eandem doctrinam profitentur, crudeliſsimè perſequantur) iuſtitiam Legis primò quinq; rationibus deſtruentem, tum iuſtitiam fidei ſeptem rationibus aſtruentem, audiamus.

Ἀπόδειξις prima, ex contrariis, concluſa Syllogiſmo diſiuncto.

Homo iuſtificatur vel ex ſuis operibus, ſeu ex Lege: vel Chriſti obedientia, ſeu fide. Rom. 1. & 3. 20.

Non iuſtificatur ex operibus. Fide ergo.

Propoſitio cum conſtet diſiunctione adverſorum immediatorum, illuſtris eſt & planè neceſſaria. neceſsitas enim diſiunctionis pendet ex neceſſaria partium oppoſitione.

Aſſumptio probatur dupliciter. 1. Neq; Gentes, neque Iudæi ex operibus iuſtificari poſſunt, cum illi ex lege naturæ impietatis in Deum & iniuſtitiæ in proximum convincantur. Rom. 1. 18. &c. Hi ex Lege ſcripta Moyſis, concinentibus etiam Prophetis, interpretibus ipſius Legis, peccati itidem cõvincantur. Rom. 2. 17. &c. & 3. 10. &c. imò adeò, ut per eos ſanctum Dei nomen malè audiat etiam apud Gentes. Atqui iuſtitia ex Lege perfectam Legis impletionem in omni opere, ne uno quidem excepto, requirit. Maledictus qui non manſerit in omnibus. 2. Ex effecto Legis. Quia per Legem cognoſcimus peccatum,

non eluimus. Lex iram operatur. Rom.3. 20. & 4.15. Quare concludit Apostolus: Concludimus ergo (inquit) fide iustificari hominem absq; operibus. Rom.3.28.

Ἀντίθεσις. Quid igitur Lex? Frustra ergo lata est, si inde non iustificamur? Legem igitur irritam facimus per fidem? Rom.3.31. Λύσις. Nego consequentiam. Est elenchus falsi finis: neq; enim in illum finem lata fuit. transgreßionum (scilicet ostendendarum) gratia addita est, Gal.3.19. & ut nos ad Christum ita adduceret, nempe remittens nos ad quaerendum Christi iustitiam. & sic respondet Apost. dicens, Legem stabilimus. Rom.3. 3.

Κατὰ βίαιον retorquet Apost. Si Lex posset vivificare, & ob id data est, verè ex Lege esset iustitia. Atqui non est. Ostendite ergo, si est. Gal.3. 21.

Exceptio I. Pontific. ad prosyllogismos assumptionis ab Apostolo allatos: Verum quidem est (inquiunt) adimi iustificationem operibus quae literaliter tantùm, & liberi arbitrij conatu extra Christi gratiam fiunt, ut sunt opera hominum nondum regenitorum: sed non operibus quae fiunt à regenitis. Resp. Operibus regenitorum adimi, inde patet: quia Iudaeorum operibus, quos Gentibus opposuit, iustificationem adimit: adimit operibus Abrahami, Dauidis, suiipsius, Rom.4. Philip.3.8. quos regenitos fuisse non negabunt Pontificij. Adde, cùm hîc de bonis operibus agamus, non'ne excludimus regenitorum opera, cum ij soli bene agant, non-regeniti nunquam bene agant? Quare & contradictionis et inscitiae accusant S. sanctum, quasi laboret de ijs excludendis quae nusquam sunt.

Exceptio 2. Verum est, inquiunt, de Lege Ceremoniali, sed non Morali: illa non iustificat, sed haec. Resp. Apostolum de Morali Lege hîc loqui, hinc manifestum est: quód Iudaeos & Gentes transgressores doceat, prolatis eorum peccatis quae cum Decalogo pugnant. Item quód dicat, se non nosse concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces.

Quae

Qua Lex hoc dicit? Non' ne Decalogus? Adhæc, cùm dicatur maledictus qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis: non' ne & transgressores Legis moralis sub voce Omnis intelligent?

Exceptio 3. Tertium sophisma est ex temporis distinctione. Verum quidem est, inquiunt, cum credere incipimus, iustificamur gratis: at postea nostris meritis nobis acquirenda iustitia est. Resp. Hoc sophisma priora evertit. Deinde manifestè falsum esse, hinc patet: quòd David iam diu in schola Dei versatus, dicat: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Idem confirmat Ioan. 1. epist. 2. scribens de peccatis post susceptam fidem admissis: ostendit nos non aliter ab illis iustificari, quàm eorum remissione per Christum. Huc refer & Patris credentium exemplum.

Ἀπόδειξις 2. ex absurdo effectu posito.

Si docerentur homines ex Lege iustificari, abrogaretur Dei gratia.

Consequens est intolerabile. Ergo absurdum est antecedens, undé infertur.

Probatur connexum: Quia frustra Filium suum in mũdum misisset Deus, vel tradidisset in mortem, si alia ratione quam hac (nempe per Legem) salus hominibus obtingere potuisset. Nam si per Legem est iustitia, frustra Christus mortuus est. Gal. 2.21. item Rom. 4.14.

Sic pari ratione dicitur: Si Cœnæ Dominicæ perceptione salvari possunt homines, cur non statim post celebratam Cœnam ascendit in cœlum Christus? Contra Pontificiorum opus operatum.

Ἀπόδειξις 3. ex remotione veri effecti.

Si ex Lege esset iustitia, ex Lege esset hæreditas seu vita æterna.

Atqui non est ex Lege, quod vel ipsa vox Hereditas ostendit, & cùm gratia sit, donum sit, ex promissione sit: non meritum. Gal. 3. 18. Eph. 2. 8.

Ἀπόδειξις 4. ex positione contrarij effecti.

Per Legem cognoscimus peccatum, seu convincimur peccati. Lex iram operatur: execrationem, non liberationem. Rom. 4. 15. Gal. 3. 10. 2 Cor. 3. 7. 9.

Non ergo per Legem iustificamur.

Ratio consequentiæ hæc est: quoniam qui iustificatur, eum prius necesse est demonstrari esse iustum: cui é regione repugnat convinci peccati.

Ἀπόδειξις 5. ab adiuncto tempore.

Lex lata est post promissionem gratuitam de iustificatione & vita æterna. Gal. 3. 15. 16. 17.

Ergo ex Lege nec iustitia, nec vita.

Ἀνθυποφορά. *At Lex, quæ postea lata est, potuit priorem promissionem gratuitam abolere.* Λύσις. *Nullo modo potuit. & ostenditur argumento á minore:*

Si hominis testamentum & promissio firma est, multó magis Dei. Gal. 3. 15.

Atqui prius est. Ergo & posterius.

Ἀπόδειξις 6. testimonio Legis & Prophetarum astruitur iustitia fidei.

Iustitia, quæ habet testimonium ex Lege & Prophetis, est illa iustitia, qua homo iustificatur. Rom. 3. 21.

Atqui sola iustitia fidei habet hoc testimonium ex Lege & Prophetis. Ergo.

Assumptio inductione horum testimoniorum probatur, quibus nulla cõtraria dari possunt, cúm S. S. sibi ipsi nõ repugnet.

Gen. 3.

Gen.3.15. Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Gen.22.18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes.

Ad Gal.4.21. adducit Apost. id quod scriptum est Gen. 21.de filijs Abrahæ, Ismaele quem peperit Agar, & Isaaco quem peperit Sara, ostendens testimonio Legis allegorico iustitiam fidei stabiliri.

Finis Legis fuit Christus: Rom.10.4. ideoq; Moyses in Legis promulgatione Iudæis perpetuó in memoriam revocat gratuitam illam promißionem, patribus ipsorum factam. Gal.3. v.23.24.

Circumcisio fuit signaculum iustitiæ fidei. Rom.4.11.

Omnia sacrificia & ceremonias legales, Christum & iustitiam quæ est per fidem, præfigurasse, ex professo ostendit Apost. in epist.ad Heb. Confirmat idipsum Stephanus protomartyr Act.7.

Moyses non introduxit populum in terram promissam, sed Iosua: sic nec Legis observatio, ut quæ per nos infirmatur, in vitam cœlestem nos introducit, sed ille verus Iesus Meßias Dei. Apost.ad Heb.4.

Deo id esse intolerabile, ut gloria salutis & vitæ æternæ operibus nostris asscribatur, vel ex typo manifestum est. Quemadmodum Deo intolerabile fuit in typo, ut populus Israeliticus sibi suisq; meritis gloriam introductionis in terram Canaan asscriberet: sic neq; iam, imó multó minus ferre poterit, ut vitam æternam operibus quæ fecimus nos, assribamus. Deut.8.& 9. Eph.2.1 Cor.1.

Iesa.53.11. Servus meus iustus cognitione sui iustificabit multos.

Ier.23.6. Vocabitur Iehova iustitia nostra.

Idem 31.cap. Novum fœdus pangam cum domo Israel.

Abacuc 2.6. Iustus fide sua vivet. citatur ab Apost. dum dicit: Nullum autem per Legem iustificari apud Deum, manifestum est: quoniam iustus ex fide vivet, teste Abacuc. Gal.3.11. Rom.1.17.

Psal.

Psal.32.1. Beati quorum remissa sunt iniquitates. & contrà Psal.143. dicit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. intellige ex obedientia Legis. citatur ab Apost. Rom. 4. 6. 7. Gal. 2. 16.

Hinc illud est Christi Ioan. 5. 39. Scrutamini Scripturas, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Quód ipsum Christus duobus discipulis proficiscentibus Emaunta, Scripturarum inductione ostendit, Luc.24.

Hinc Petrus Act.10.43. dicit, omnes Prophetas testimonium perhibere de Christo, quód per ipsum accipiamus remissionem peccatorum. Idem & Stephanus Act.7. affirmat.

Et ne quis putaret Scripturam utrumque dicere, salutem & per Legem esse, & per Christum: Petrus Act.4.12. volens occurrere huic Pontificiorum delirio, dicit, Non esse in alio quoquam salutem, nec aliud nomē sub cœlo datum inter homines, per quod illos salvari oporteat. Idem Paulus Petrum Antiochiæ increpans confirmavit, Gal. 2. Idem tota Synodus Apostolica, Act.15.

Quare cúm tanta nube testium circumdemur, confirmemur in doctrinæ veritate, nempe Iustitiam fidei nobis ad salutem imputari.

Ἀπόδειξις 7. ex collatione Parium.

Sicut Abraham iustificatus est, sic iustificantur & omnes quos iustificat Deus. Rom.4. 1. 2. Gal.3. 6.

Iustificatus est autem Abraham per fidem, non per Legem (inquit Paulus) testimonio Scripturæ. Gen.12. 3.

Quare non aliter iustificantur omnes.

Vis connexi pendet ex parium collatione: paritatem ipse Apostolus expreßé demonstravit prolata finali causa, inquiens, Non hoc propter ipsum solum scriptum esse, sed & propter nos. Paritas duplex est: primó in Deo, qui cum sibi semper similis sit, unam & eandem rationem sequitur in iustificatione

stificatione omnium hominum. neq; enim duas diversas rationes habet: sed eandem rationem & modum sequitur tam iustificādi hominem in circumcisione, quàm in præputio: ita ut magis hæc identitas quàm paritas dici possit. In iustificatis paritas est. 1. quia patris & filiorum credentium eadem ratio est. 2. cum Abrahami opera non veniant in rationem iustificationis, quis non videt iustificandos pares esse: & iam iustificatos, ob eandem Christi iustitiam ipsis imputatam item pares esse?

Sic ergo contra Pontificios argumentamur:

Si ullus iustificari potuisset ex operibus, certé pater credentium Abraham.

Non autem inquit Paulus: Iustificatus est ex operibus. quia si opera debent allegari, allegabitis filij immolationem, et ea quæ fecit in Circumcisione.

Atqui iam tum erat iustificatus, & quidem in præputio.

Ergo non habet Abraham ex operibus, quod glorietur coram Deo. Rom. 4. 10.

Απόδειξις 8. ex collatione Similium.

Quemadmodum per Adamum peccatum introiit in omnes homines, & per peccatū mors, eo quód in Adamo omnes peccarunt: Sic per Christum iustitia introiit in omnes credentes, & per iustitiā vita, eo quód in Christo omnes credentes pro peccatis satisfecerunt.

Hoc argumentum non tantúm á Similibus, sed & á Paribus est. Prorsus enim eadem est ratio. Cur in veteri Adamo peccantes magis rei fieremus mortis, quám in novo Adamo iustitia Dei satisfacientes, participes æternæ vitæ?

Απόδειξις 9. ex effectis.

Ex iustificatione per fidem oritur reconciliatio cum Deo, securitas conscientiæ, spes gloriæ Dei, id est, uita æterna. Rom. 5. 1. Tit. 3. 7.

Nihil

Nihil horum oritur ex Lege: quia abest causa, nempe iustitia per Legem. Ergo iustitia fidei est tantúm vera illa iustitia.

Ἀπόδειξις 10. ex caussa efficiente, eaque prima.

Ad doctrinam de Prædestinatione accedit Apost. Rom. 9. per prolepsin. Nam cum obijci potuerit: Si homines iustificarentur per Christi obedientiam, quem dicis esse ex Iudæis secũdum carnem, & datum esse mundo ut servatorẽ: Iudæi eum vel maximé amplecterentur, & iustificarentur ipsius iustitia. ostendit connexum falsum esse: nam non tantúm contingens est, sed est elenchus non causæ ut causæ. Quare argumentum firmissimum affert pro iustitia fidei, in quo etiam abundé satisfacit ipsorum obiectioni.

Ii quos ad salutem in Christo, seu ut essent iusti in Christo, ante mundum conditum elegit Deus, ij sunt inquam, qui iustificantur per fidem.

Atqui non omnes Iudæi sunt electi.

Ergo non omnes iustificantur. Imó cum qui iustificantur, ante mundum conditum á Deo electi sint, sequitur illos operibus suis non iustificari, cúm causa salutis illorum, non tantúm ipsa opera, sed & operantium nativitatem antevertat.. Hinc solet Scriptura dicere, nos gratia servari, &c. Hoc argumentum tam illustre est, ut vel eo solo os omnibus Pontificijs meritó obstrui debeat.

Ἀπόδειξις 11. item ex causa efficiente.

Qua ratione promissa est salus, eadem obtinetur.
At promissa est non implenti Legem, sed credenti.
Ergo fide tantúm obtinetur. Rom. 4. 13. Gal. 3. 8. 18.

Assumptio probatur. Quia si cõtrarium statueretur, hoc absurdum sequeretur: nempe si salus esset promissa sub conditione imple-

ne impletionis Legis, irritam esse fidem, & inanem esse promissionem: quia nullus Legem implet. Rom. 4. 14. Quare non potest non esse absurdum, unde absurda: verum, unde vera consequuntur.

Ἀπόδειξις 12. ex causa finali.

Finis iustificationis hominis coram Deo est, ut solus Deus inde celebretur, ut gloria misericordiæ ipsius in hominis salute innotescat, ne habeat homo in suis meritis vel viribus, de quo possit apud Deum gloriari.

Hæc gloria non potest consistere, nisi homo ex fide tantùm iustificetur. Labefactatur prorsus per iustitiam Legis. Rom. 4. 6. Eph. 2. 9. Rom. 3. 27. & 4. 2.

Quare & homo in hac vita, per Evangelij prædicationem, tanquam ex ore Dei, non aliter iustus pronunciatur quàm fide: & in celeberrimo illo mortalium conventu in extremo die, non aliter quàm prolata gratuita Dei gratia, tanquam prima salutis causa, hæres æternæ vitæ censebitur. Matth. 25. 34.

